

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1233

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

camerarius, E[gelolfus] de Mundingen, G[untherus] de Landesberg, A[lbertus] et B[urchardus] Bâeger, Erbo iudex, F[ridericus] Dispensator, C[onradus] Virnekorn, R[udolfus] scultetus, Wezilo iudex et alii quam plures. ne igitur factum memoratum revocetur in irritum, presens scriptum sigillis nostro videlicet et capituli et civitatis firmiter fecimus communiri.

B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2722 or. mb. c. 3 sig. pend. laesis.

Gedruckt nach dem lib. sal. 1347 bei Grandidier Oeuv. inéd. III, 308 nr. 300. Die Datirungstermine ergeben sich daraus, daß 1223 Bischof Berthold sein Episcopat antrat und 1232 der unter den Zeugen genannte Domsänger Friedrich von Entringen zum letzten Male erscheint, cfr. nr. 228.

232. König Heinrich VII nimmt Bischof, Capitel, Ministerialen und Bürger von Straßburg in seinen besondern Schirm und Geleit. 1233 März 8 Boppard.

H[einricus] dei gratia Romanorum rex et semper augustus. universis imperii fidelibus hanc litteram inspecturis gratiam suam et omne bonum. regie congruit honestati devotorum et fidelium suorum lesiones tamquam proprias vindicare et pleniori cum effectu ipsorum intendere comodo et honori. igitur cum dilectus princeps noster B[ertholdus] venerabilis episcopus, capitulum, ministeriales, consilium et universi cives Argentinenses nostre se taliter astrinxerint majestati, quod nostra gravamina sint eorum lesiones et eorum lesiones nostra gravamina reputemus, significandum duximus universis, quod nos ex consulta deliberatione predictos fideles nostros, episcopum et omnem familiam Argentinensem et nominatim cives, specialem sub nostram recepimus protectionem volentes, ut, ubicumque per imperium profiscisci vel negotiari necesse habuerint, regio patrocini defendantur. quapropter mandamus sub interminatione gratie nostre districte precipientes, ut nullus sit, qui ausu ductus temerario sepe dictos fideles nostros Argentinenses in personis vel in rebus molestare audeat vel dampnum eis aut gravamen aliquod irrogare. quod qui facere presumpserit, gravem offensam nostram se noverit incursum, non evadet nostre celsitudinis ultionem. datum apud Böhperdiam anno dominice incarnationis 1233, 8 idus martii, indictione 6.

S aus Straßb. St. A. Briefbuch A fol. 23^a mit der Ueberschrift: daz künig Heinrich den bischof, sine diener und die burger zū Strazburg in sinen sundern schirm het genomen.

Gedruckt darnach bei Wencker Appar. et instr. arch. p. 162 = Laguille pr. p. 37 = Huillard-Bréholles Hist. dipl. Frider. sec. IV, 604. — Böhmer Reg. Heinr. nr. 292.

233. Meister und Rath der Stadt Straßburg bearkunden, daß der Bürger Sifrid und seine Frau Lugardis die Hälfte ihrer in der Stadt gelegenen Mühle der St. Thomaskirche geschenkt haben. 1233 Mai 14.

Albertus dictus Begere magister civium et consilarii Argentinenses omnibus presentem paginam inspecturis salutem in domino. dignum est, ut scripture testimonio solidentur, que pia devotione fidelium ecclesiis conferuntur. inde est

quod ad noticiam vestram tenore presentium pervenire volumus, quod Sifridus concivis noster et uxor sua Lugardis zelo pietatis accensi medietatem molendini siti contra superiorem partem vici, qui dicitur Spizzen¹, communi voto, consensu etiam heredis sue videlicet domine Berhte uxoris Rûdolfi Lencelini accedente, ecclesie sancti Thome pro remedio animarum suarum sub hac forma contulerunt, ut singulis annis in festo Johannis baptiste, dum vivunt, quatuor denarios ecclesie persolvant memorate, pensione nichilominus annuatim ab eisdem de sua parte molendini persolvenda eidem ecclesie in suo robore duratura. post mortem vero amborum predicta ecclesia prefatam partem molendini cum suis proventibus integre possidebit ita, quod, altero eorum premortuo, medietas proventuum in anniversario suo, reliqua vero pars in anniversario reliqui morituri inter fratres sepe dicte ecclesie distribuatur. prefati etiam canonici volentes tali salutifere donationi spiritali compensatione respondere provide statuerunt, ut tam ipsi quam successores eorum singulis annis in anniversariis predictorum vigiliis et missam pro defunctis celebrarent pro suarum requie animarum. in hujus rei in presentia nostra facte testimonium ad petitionem donationem facientium et capituli sancti Thome sigillum nostre civitatis huic cartule fecimus apponi. actum anno domini 1233, secundo idus maji, presentibus subscriptis Wolphelmo decano, Hugone portario, Sigebotone cellerario, Rûdolfo de Endingen, Rûdolfo pincerna, magistro Richardo canonicis sancti Thome et Gozberto plebano de Velkirchen; laicis vero Johanne de Kunegeshoven, Erbone iudice et filio suo Erbone, Wezelone, Rûdolfo de Zaberne, Gozberto fratre predicti donatoris, Cûnrado Virnecorn et filio suo Reinboldo, Erbone juniore, Ūlrico Loselino, Rûdolfo de Vegersheim, Rûdolfo Lenzelino, Friderico de Hagenowe, Dietherico vonne Sluche et aliis quam pluribus.

Juni 21

²⁵ *T aus Straßb. Thom. A. Titres lad. 25 or. mb. c. sig. pend.
Gedruckt darnach bei Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 307 nr. 26.*

234. *Pabst Gregor IX fordert unter Verheißung von Ablass alle Angehörigen der Mainzer Diocese zur Unterstützung des von Wassersnoth bedrängten St. Katharinenklosters zu Straßburg auf. 1233 Mai 21 Rom im Lateran.*

³⁰ Gregorius episcopus servus servorum dei universis Christi fidelibus per Maguntinam provinciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire et eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam, qui parce seminat, parce et metet et, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. cum itaque, sicut dilecte in Christo filie . . . priorissa et conventus pauperum monialium monasterii sancte

¹ *Vergl. Straßb. Gassen- und Häusernamen i. Mittelalter S. 114 u. 159.*

Katerine in Argentina nobis humiliter intimarunt, locus, in quo divinis sunt obsequiis mancipate, expositus adeo inundationibus sit aquarum, quod, nisi earum impetus arceatur aggeribus comportatis, futurum creditur, quod ipse cum edificiis evertatur, nec ad occurrendum huic periculo proprie rerum aut virium sufficient facultates, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in domino in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus de bonis a deo vobis collatis 5
 pias elemosinas et grata eis caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram tanto possit periculo obviari et vos per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, qui 10
 ad locum ipsarum propter hoc cum devotione accesserint et ad hoc subventionis manum porrexerint liberalem, viginti dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. datum Laterani 12 kalendas junii, pontificatus nostri anno septimo.

H aus Straßb. Hosp. A. lad. 125 fasc. 1 or. mb. c. bulla pend. Auf der Rückseite oben, wie es scheint, von gleicher Hand: Fr. G. pauperum monialium. 15

235. *Pabst Gregor IX nimmt das St. Katherinenkloster zu Straßburg in seinen besondern Schutz. 1233 Mai 27 Rom im Lateran.*

Gregorius episcopus servus servorum dei dilectis in Christo filiabus . . . priorisse ac conventui pauperum monialium monasterii sancte Katerine in Argentina^a salutem et apostolicam benedictionem. justis petentium desideriis dignum est nos facilem 20
 prebere consensum et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. eapropter, dilecte in domino filie, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras et monasterium, in quo divino estis obsequio mancipate, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis prestante domino poterit adipisci, sub beati Petri et 25
 nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre protectionis infringere vel ei ausu temerario contraire. si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum, datum Laterani 6 kalendas junii, pontificatus nostri anno septimo. 30

H aus Straßb. Hosp. A. lad. 125 fasc. 2 or. mb. c. bulla pend. mit derselben Dorsualnotiz wie nr. 234.

236. *Bischof Berthold von Straßburg beurkundet, daß Humbert Zidelarius dem Reuerinnenkloster der heiligen Maria Magdalena zu Straßburg Güter inner- und außerhalb der Stadt geschenkt habe. 1233 Straßburg in der bischöflichen Pfalz.* 35

Bertoldus dei gratia Argentinensis episcopus universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis firmiter id credere, quod adtestatur. ne rerum gestarum

a) *H* Argentina.

veritas cadat in oblivionem, litterarum debet memoria perhennari. noverint igitur universi tam presentes quam posterī, Humbertum Zidelarium de consensu et voluntate heredum suorum, scilicet domine Adelheidis sororis sue de Winestein et puerorum suorum, hec bona, que subscripta sunt, claustro sancte Marie Magdalene penitentum in Argentina pro remedio anime sue contulisse: videlicet curiam, in qua claustum fundatum est¹, et curiam adjacentem, curiam inter Judeos in Argentina, bona in Munoltesheim et in Nugerte, curiam in Hönheim, pratum unum apud Goudertheim, bona in inferiori et in medio Hugesbergen sita cum curiis et agris viniferis et frugiferis. contulit etiam prius predictis penitentibus quedam bona in Killestete; sed penitentes bona voluntate eadem bona sibi reddiderunt. reliqua vero bona sua omnia propria et hereditaria cum hominibus ex altera parte Eckenbach et ex ista parte idem Humbertus Zidelarius prefate sorori sue Adelheidi contulit libere et quiete possidenda^a. sciendum est etiam, quod jam dictus Humbertus Zidelarius dotem, quam uxori sue domine Agneti contulerat, ea et amicis suis consentientibus, in parte conmutavit et versa vice dedit ei in dotem omnia bona sua in inferiori et in medio Hugesbergen sita, relinquens in eisdem bonis ad minus sex equos sub tali condicione, quod post mortem domine Agnetis eadem bona sine omni contradictione cedant penitentibus. preterea sciendum est, quod memoratus Zidelarius bona sua in superiori Hugesbergen sita prefate consorti sue domine Agneti pro argento suo contulit pro libera proprietate perpetuo sibi et heredibus suis possidenda. mortuo vero Zidelario, penitentes dabunt domine Agneti uxori Zidelarii omni anno, dum vixerit, pro censu curie duo talenta denariorum tunc legalium, quia ipsa curiam apud sanctum Andream sibi dotatam resignavit. de mobilibus vero bonis, que Zidelarius in morte sua reliquerit, media pars cedat domine Agneti uxori sue, alia media pars cedat penitentibus. ne igitur hoc factum posterorum cavillatione vel temporis oblivione possit in irritum revocari, presens pagina descripta est in testimonium et sigillo nostro et civitatis nostre Argentinensis et domini Heinrici de Winestein sollemniter communita. acta sunt hec publice in palatio nostro Argentine de consensu domine Adelheidis de Winestein et domine Agnetis uxoris Zidelarii et penitentum, anno incarnationis domini 1233, in presentia nostra et aliorum multorum, videlicet Arnoldi de Burgelen custodis, Friderici de Hagenowe cellerarii, Hugonis Treverensis canonicorum^b majoris ecclesie, domini Waltheri de Muetensheim, Eberhardi plebani Zavernie, Dieterici burgravii, Burchardi Murhardi vicedomini, Wilhelmi et Wernheri Begeronum, Heinrici burgravii, Hugonis de

35 a) B possidendam. b) B canicorum.

¹ Die Angaben von Th. de Bussierre in seiner *Histoire de l'établissement du protestantisme à Strasbourg et en Alsace I*, 350, der das Reuerinnenkloster um 1225 im Waseneck beim Judenthor entstehen läßt, sind demnach besser begründet als Specklins Mittheilungen, denen Schöpflin *Als. illustr. II*, 294 gefolgt ist. Die Bulle Pabst Gregors IX, 1227 Juni 10 Anagni, die Grandidier *Oeuv. inéd. III*, 40 308 nr. 299 erwähnt, ist nicht für das Straßburger Kloster speciell, sondern für die sorores penitentes sancte Marie Magdalene in Alemannia bestimmt. *Straßb. Bez.-A. H fasc. 2972 or. mb. c. bulla pend. Ebenda für dieselben Schwestern noch zwei Indulgenzen Gregors IX, 1232 October 6 Anagni, u. 1237 September 23 Viterbo.*

Mittelhus, Eberhardi Scolzenbolz, Hartungi Louchman, Heinrici de Lampertheim, Erbonis junioris magistri burgensium, Cünradi Virnecorn, Erbonis judicis, Gozperti ministri fratrum, Friderici et Cūnonis inter mercatores, Alberti de Stabulo, Wernheri Pulicis, Hessonis notarii burgensium.

B aus Straßb. Bez.-A. H fasc. 2996 or. mb. c. 3 sig. pend.

5

237. *Bischof Berthold von Straßburg beurkundet, wie die Streitigkeiten seines verstorbenen Marschalls Wernher und dessen Neffen Egelolf, seines jetzigen Marschalls, mit dem Straßburger St. Stephanskloster über die Vogtei des Dorfes Schiltigheim geschlichtet worden seien. 1233 Straßburg.*

Bertoldus dei gratia Argentinensis ecclesie episcopus universis ecclesiarum 10
prelatis, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in perpetuum. elucescit
et vivit actio, cui littera gubernatrix est. noscant igitur presentes et futuri hoc
scriptum audituri, quod, cum aliquo tempore super jure advocacie in Schilteheim
ville prope Argentinam site inter abbatissam et conventum ecclesie sancti Stephani
et venerabilem virum bone memorie Wernherum quondam marescalcum nostrum 15
dissensio verteretur, tandem interventu bonorum virorum consilio taliter eadem
dissensio diffinita est, ut, quicumque post decessum ipsius marescalci prefatam
advocatiam obtineret, triginta solidos de tribus obsequiis, que vulgo servitia curie
dicuntur, annuatim obtineret. viam autem universe carnis eodem marscalco ingresso,
voluit Egelolfus marscalcus noster¹ sui avunculi in eadem advocatia gaudere pos- 20
sessione. cum igitur aliquo tempore super eodem inter partes iterata contentio
verteretur, tandem etiam consilio prudentum per consensum partium taliter eadem
dissensio diffinita est, ut jam dictus Egelolfus tria talenta de tribus obsequiis in
eadem villa, dum viveret, annuatim perciperet, nullo in posterum suorum succes-
sorum nisi triginta solidos ibidem obtinente. adjectum etiam fuit, quod colonus in 25
curia abbatisse residens advocato, qui tunc pro tempore fuerit, super summam
decem solidorum, nisi voluntarie aliquid superaddere voluerit, singulis annis nequa-
quam servire teneatur. si vero abbatissa prefata bona jam dicte curie propriis
expensis excolere voluerit, ejus servi ab omni exactione et precaria qualibet liberi
debent esse penitus et absoluti. et ne aliqua super his in posterum inter eos queat
ambiguitas oriri, presentem paginam sigillo nostro fecimus communiri. testes hujus
rei sunt dominus Reinhardus prepositus, dominus Bertoldus decanus, dominus
Ulricus cantor et scolasticus², Arnoldus custos, Hermannus portarius, Ulricus ple-

¹ Derselbe dotirt im nämlichen Jahre für sein und seiner Gattin Beatrix Seelenheil die von ihm im Kloster Hohenburg gestiftete Præbende mit neuen Einkünften. Die bezügliche Urkunde besiegelt auch der Domprobst Reinhard, dessen Siegel, wenn auch verstümmelt, allein noch erhalten ist. *Straßb. Bez.-A. G fasc. 1620 or. mb. c. 3 sig. pend. partim delapsis, gedruckt darnach bei Grandidier Oeuv. inéd. III, 261 nr. 162.*

² Zu einer aus demselben Jahre stammenden Verfügung Bischof Bertholds über sein Lehen zu Männelsheim und die Pfarrei daselbst wird ebenfalls die Zustimmung dieser drei Würdenträger des Straßburger Domstifts eingeholt. *Cfr. Grandidier Oeuv. inéd. III, 329 nr. 336.*

banus ecclesie sancti Stephani, Lampertus et Nybelungus canonici ejusdem cenobii, Gunterus miles de Landisberc, Cūno de Bercheim, Murhardus vicedominus, Albertus frater ejus et alii quam plures. datum Argentine anno domini 1233, scribente Guntero¹.

5 *B aus Straßb. Bez.-A. H fasc. 2679 or. mb. c. sig. pend. delapso.*

238. *Bischof Berthold und das Domcapitel von Straßburg beurkunden, unter welchen Bedingungen der zwischen der Honauer Kirche und ihrem Vogt, dem bischöflichen Marschall Wernher, ausgebrochene Zwist mit dessen Nachfolger Egelolf von Mundingen endlich ausgeglichen worden sei. 1233.*

10 :In nomine sancte et individue trinitatis amen.: temporale perit sepe negotium, si non firmet illud assertio litterarum. ego igitur Bertholdus dei gratia Argentinensis episcopus, R[einhardus] prepositus, B[ertholdus] decanus, Ū[ricus] cantor et scolasticus totumque capitulum ejusdem ecclesie hanc paginam inspecturis notum facimus universis, quod, cum instigante generis humani inimico fomes discordie inter B[ertholdum] prepositum et confratres Honaugensis ecclesie ex una
15 parte et Wernerum marscalcum ex altera ejusdem loci advocatum in tantum inva-
luisse, ut predicti prepositus et fratres tam sui presentia quam obsequio divino ipsam ecclesiam alio se transferentes desolatam diu reliquissent, ac propter hoc cum
idem marscalcus dudum vinculo excommunicationis extiterit innodatus et, licet multi
20 tractatus de compositione et ejus absolutione nobis mediantibus inter ipsos habiti
fuissent², tamen usque ad finem vite ejusdem marscalci nullo modo duci^a poterat
ad effectum et, cum jam de convalescentia ejus desperaretur, mediantibus discretis
viris videlicet R[einhardo] preposito majori, U[olrico] scolastico, H[ermann]o portario
et F[riderico] cellerario et Diethelmo canonicis majoris ecclesie Argentinensis, inter
25 prefatos^b prepositum et capitulum Honaugenses^c ex una parte et E[gelolfum] de
Mundingen ex altera successorem marscalci in eadem advocatia pax et concordia
sub forma subscripta intercessit: videlicet quod pro dampnis et injuriis illatis
exhibuit memoratus E[gelolfus] de Mundingen mansum in Munoltesheim valentem
singulis annis viginti quartalia hiemalis annone, quem mansum sepe dictus mars-
30 calcus dudum ante mortem suam, immo cum adhuc sanus esset et secum tractatum
fuisset de compositione, sepe dictis preposito et canonicis Honaugensibus pro dampnis

a) *B 4* perduci. b) *B 4 om.* prefatos. c) *B 4* Honaugense.

¹ Derselbe Schreibervermerk (cfr. nr. 206) schließt auch eine Urkunde Bischof Bertholds, einen Streit zwischen dem Kloster Schuttern und Heinrich von Diersburg betreffend, 1235 November Straßburg. Als Schiedsrichter werden genannt Cūnradus de Wolfach archidiaconus und Reinhardus canonicus Argentinensis. Cfr. *Mone Quellensammlung der Badischen Landesgeschichte III*, 59, wo die Echtheit der Urkunde mit Unrecht deswegen beanstandet ist, weil Gunter als Mönch von Schuttern nicht nachweisbar sei. Gunter war aller Wahrscheinlichkeit nach ein bischöflich Straßburgischer Schreiber.

² Cfr. nr. 190.